



**R. P. Ioannis Præpositi Atrebatis, E Societate Iesv, S.
Theologiæ Doctoris, & quondam in Vniuersitate
Louaniensi ac Duacensi Professoris, Commentaria In
Tertiam Partem S. Thomæ De Incarnatione Verbi ...**

LePrévost, Jean

Dvaci, 1629

Art. I. Vtrum in Christo fuerit peccatum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94249](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94249)

prudencia in victu & actionibus.

Aliqui contrarium senserunt de lepra propter locum Isa. 53. & nos reputamus eum quasi leprosum; sed id est damnatum à Concilio Francofurtiensi in epistola ad Episcopos Hispaniarum post medium.

Nec fuit Propheta, quia solum vult Christum ita fuisse à Deo percussum, ut tamquam leprosus existimaretur, qui scilicet propter sua scelera à Deo esset percussus & humiliatus. Vide Sanchez in eum locum.

Dubitant Doctores an saltem morbum potuerit incurrere ex causis extrinsecis, v. g. ex cæli indementia. Ita existimant aliqui, quia mors non videtur obtingere sine morbo. constat autem quod assumpserit necessitatem moriendi, ita ut si aliorum malitia occisus non fuisset, fuisset nihilominus mortuus.

Alijs tamen placet contrarium non improbabiler, quia etiam contra externa agentia optimè mouerat corpus gubernare.

Nec obstat ratio allata, quia non videtur improbabile quod mors possit alicui sine morbo contingere calore naturali paulatim deficiente secundum exigentiam ætatis; nam secundum cursum naturæ calor paulatim deficit, & humidum radicale paulatim consumi potest sine dolore.

QVÆSTIO XV.

De defectibus anime Christi.

ARTICVLVS I.

Vtrum in Christo fuerit peccatum?

RESPONDET negativè. Probat ex fine quo Christus noster suscepit defectus scilicet ut nos à peccato liberaret, & pro nobis satisfaceret. 2. ut veritatem naturæ humanæ comprobaret. 3. ut exemplum virtutis præberet. ad hæc autem non decuit peccatum assumi, ut ex se pater.

Conclusio S. Th. est de fide. de fide enim est in Christo non fuisse peccatum actuale iuxta illud Is. 53. id quod iniquitatem non fecerit, neque dolus fuit in ore eius. Ioannis 8. quis ex vobis arguet me de peccato? ad Heb. 4. dicitur testatus per omnia pro similitudine absque peccato. c. 7. talis enim decebat ut nobis esset pontifex sanctus, innocens, impollutus. 1. Petri 2. qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Ex quo sequitur nec fuisse in eo peccatum habituale.

Non fuit etiam originale, quia Lucæ 1. dicitur, quod natus est ex te sanctum, vocabitur filius Dei. ubi non solum est sermo de natiuitate ex utero, sed etiam de conceptione & natiuitate in utero.

Præterea Christus ab initio suæ conceptionis fuit beatus. beati autem de facto sunt immunes à peccato. Idem tradunt constanter Concilia & sancti Patres. videri potest Concilium Lateranense sub Martino 1. can. 5. & epistola Sophronij actione 11. 6. Synodi generalis.

Ex his sequitur non solum non peccasse, sed nec de lege ordinaria potuisse peccare, quia beati, saltem de lege ordinaria, peccare non possunt. Præterea Christus venit ut peccatum destrueret, & ut genus humanum liberaret à potestate diaboli. igitur saltem secundum legem Dei ordinariam & suam Dei dispositionem non debebat villo

tempore ei subiaccere.

Vnde quod dicitur 2. ad Cor. 5. pro nobis peccatum fecit, scilicet Deus Christum, non significat quod Christus verè in se peccatum habuerit, sed quod sit factus hostia pro peccato, seu pro peccatis nostris oblatus fuerit, ut habetur Isa. 53. De cætero eodem loco ad Cor. dicitur peccatum non nouisse. videri potest S. Thom. ad 4.

Obijcies 1. Christus descendit ex Adamo; ergo contraxit peccatum originale.

Resp. neg. conseq. quia non descendit ex eo nec in eo fuit contentus, secundum rationem seminales; cum non fuerit conceptus per commixtionem maris & feminae; sed solum secundum substantiam corpulentam, quam absque opera virili sumpsit ex purissimis sanguinibus B. Virginis. qui autem ita descendit ex Adamo non subiaccet necessitati contrahendi peccatum originale, ut passim Patres & Doctores.

Obijcies 2. Christus non minùs debuit dare exemplum penitentia quam aliarum virtutum.

Resp. sufficienter præbuisse pro nobis satisfaciendo & penam sustinendo, licet peccatum non commiserit.

Obijcies 3. quod psalmo 21. dicatur, longe à salute mea verba delictorum meorum. quæ dicta esse in persona Christi patet ex cap. 27. Matth. ubi refertur Christus protulisse præcedentia verba eiusdem psalmi, Deus Deus meus ut quid dereliquisti me?

Resp. nihil inde colligi contra catholicam veritatem, quia varij Patres passim citati exponunt de Christo non secundum propriam personam, sed secundum eius membra. Alij interpretantur quidem de persona Christi, sed per delicta quæ dicit sua, non intelligunt peccata quæ commiserit, sed quæ in se quodammodo suscepit, dum se obtulit ad satisfaciendum pro ijs, quæ fecerunt ut mortem subire debuerit.

Ex his patet esse intolerabilem blasphemiam, cuius facit mentionem Prateolus in Elencho hæreticorum Verbo antichristiani, eius qui dixit Christum in cruce proferentem illa verba, Deus Deus meus ut quid dereliquisti me? desperasse, & ideo damnatum esse.

Hactenus ostensum Christum non peccasse, nec potuisse peccare secundum legem ordinariam, cæterum est

DVBIVM.

Num de potentia absoluta peccare potuerit in natura assumpta?

QVÆSTIO hæc potest intelligi de Christo vel secundum statum in quo naturam humanam assumpsit, scilicet in statu beatifico, vel secundum statum in quo assumi potuit sine visione Dei, imò sine vllis donis creatis supernaturalibus aduenientibus vnioni hypostaticæ.

Ratione prioris status tam certum est Christum non posse peccare etiam venialiter in natura assumpta, quam certum est beatos peccare non posse, qui communi sententia ponuntur impeccabiles ab intrinseco, ita ut clarè videntes Deum ne de potentia Dei absoluta peccare possint. Nec videntur Doctores in eo sensu mouere questionem, sed in secundo, supponendo quod Deus potuerit sibi vnire naturam humanam, eam quoad reliqua relinquen-

Explicatur locus 2. Cor. 5.

3.

Obiectio 1.

Resp.

Christus tantum fuit in Adamo secundum substantiam corpulentam.

Obiectio 2.

Resp.

Obiectio 3. Psal. 21. Matth. 27.

Resp.

Intolerabilis blasphemia.

Dubiū duplici sensu potest intelligi.

5.

relinquendo in puris naturalibus, cum nulla in eo appareat repugnantia.

Dux sententiae.
Affirmat.
Durand.
Scot.

Duplex est hac de re sententia. Prior est Durand. dist. 12. q. 2. qui censet humanitatem Verbo unitam potuisse peccare. Scoti eadem dist. q. vnica, art. 2. quamuis aliqui censent Scotum id non sensisse, sed solum quod natura humana in Christo non fuerit reddita impeccabilis praecise ratione vnionis, si nullum auxilium ratione illius proueniret humanitati. Verum cum Scotus existimet beatos non esse ab intrinseco impeccabiles, sed ex fauore Dei extrinseco, non potest iure censer non conuenire in sententia Durandi, quam eius sequaces propugnant, & quam videtur insinuare probabilem Gabriel dist. citata q. vnica art. 2.

6.

Negantem
tenent com-
munissimè
DD.
Medin.
Suar.
Vasq.

Posterior negat etiam de potentia Dei absoluta humanitatem Verbo hypostaticè unitam posse peccare. Ita communissimè Doctores, quorum aliqui priori sententiæ grauem notam inuenerunt. Medin. hic dicit appropinquare ad errorem. Suarez disp. 33. sect. 2. concl. 1. dicit eam sine temeritate non videri posse defendi. Vasq. disp. 61. cap. 3. dicit se existimare notā dignam: verum alij censent eam nullam censuram mereri. Ita Lorca disp. 57. num. 11.

Et est om-
nino verior.

Quidquid sit de grauiori censura, posterior sententia est omnino verior, pro qua Suarez sup. citat plurimos Patres, quos tamen Lorca censet frustra referri pro praesenti quaestione, eo quod Patres noluerint tradere quod Christus de potentia absoluta peccare non potuerit, vel eius humanitas Verbo unita, sed quod fuerit impeccabilis, scilicet secundum legem Dei ordinariam & suppositis ijs quae de facto competunt Christo, & consideratā Incarnatione prout re ipsa facta est: nam, ut diximus, per Incarnationem natura humana non solum euecta est ad esse personale Verbi, sed à primo instanti fuit beata, & Deum clarè vidit, eumque actu necessarīo amauit eo amore qui nec peccatum veniale secum compateretur. Nec refert quod aliqui impeccabilitatem referant in vnionem: non enim volunt naturam ratione illius solius reddi impeccabilem, sed ratione donorum superadditorum, quae quia moraliter debebantur illi naturae ratione vnionis, impeccabilitas optimè referri potest in vnionem tanquam in radicem impeccabilitatis, quamuis de cetero humanitas illis donis carens non esset impeccabilis.

Stabilitur
ex PP.

Verum licet aliqui Patres non incommode ita possent explicari, tamen hac explicatio non videtur omnibus satis probabiliter applicari, cum eorum dicta in sua proprietate accepta videantur amplius indicare, scilicet ipsam humanitatem propter sui vnionem ad Verbum & ad diuinam naturam esse impeccabilem, & Christum etiam in humanitate nulla ratione posse peccare. Nazian. in apologetico 1. dicit, *Christus denique sublimior ac praestantior quam ut intra peccandi aliam esset*, ubi non videtur referre causam impeccabilitatis in donum creatum distinctum ab vnione, sed in vnionem, per quam factum est ut idem esset Deus & homo, & ideo sublimior quam ut peccare posset. Epiphanius in Ancorato post medium. alienitatem ab affectibus peccati, id est, impeccabilitatem in Christo refert in diuinitatem in eo habitantem. Anselm. lib. 2. cur Deus homo cap. 10. dicit Christum fuisse impeccabilem quia erat Deus homo, quae & similes locutiones ita in-

Nazian.

Epiphanius.

Anselm.

dicant Christum fuisse impeccabilem, ut nulla ratione etiam de potentia absoluta peccare potuerit.

Prob. 1. natura humana ratione vnionis hypostaticae cum Verbo ita fuit sanctificata ut omnibus alijs praecisus esset Deo gratissima & summe dilecta, ut patet ex dictis quaest. 7. sed tali sanctitati repugnat peccatum originale, mortale, vel etiam veniale; ergo nulla ratione fieri potuit ut natura Verbo unita vllum peccatum haberet. minor prob. quodlibet peccatum aliquam continet deformitatem, Deo displicet, animam commaculat, atque adeo persona & natura illud habens Deo plus vel minus displicet: atqui impossibile est personam Christi, similiter & eius naturam Deo displicere, cum repugnet naturam summe Deo gratam, & quolibet amore dignissimam eidem displicere.

Conf. sanctitas naturae humanae Verbo unita tanta est, & ita perfecta, ut nulla sub Deo perfectior esse possit, posset autem esse perfectior si ea sanctitas secum admitteret vel leuissimum peccatum veniale, patet in beatis, qui ratione status ne minimam quidem culpam possunt admittere.

Prob. 2. communi argumento Theologorum, quod etiam insinuant Patres in suis sententijs. Repugnat Deum peccare; non autem repugnaret, si natura hypostaticè illi unita peccare posset; detur enim id quod possibile est fieri, atque adeo naturam hypostaticè unitam peccare, peccatum illud tribueretur Verbo & Deo.

Durandus concedit tribui quidem Deo denominationem ut sustentanti naturam quae peccat, non verò vt agentem & mouentem ad peccandum, sicut calefacere tribuitur aquae denominationem tantum, quia nimirum sustentat calorem extrinsecus sibi aduenientem nihil conferens ad calefaciendum.

Verum ut omitam statim apparere absurdum concedere quod Deus peccet, sit dignus odio suis ipsius, dignus aeterno supplicio, licet id solum ei conueniret per communicationem idiomatum, dico peccatum non solum hac ratione, sed etiam verè & propriè Deo tribuendum.

Quod prob. quando plures naturae in vnum suppositum conueniunt, natura superior debet moderari motus inferioris, & inferiorem dirigere ne à recto defleat; alioquin si negligat cum possit, imputatur illi peccatum. igitur in Christo natura superior scilicet diuina idem debet praestare respectu humanitatis, alioquin peccatum in ipsam redundabit, atque adeo ipsamet peccabit, quod repugnat.

Posterior pars antecedentis prob. cum suppositum ipsum operetur, eius est providere per vires & facultates quibus potest, ne vlla sua natura deficiat, & per consequens id spectat ad officium naturae vel partis superioris.

Conf. inde fit vt peccet voluntas humana, si cum possit non refranet motus appetitus sensitui. similiter ergo peccabit natura diuina & Deus, si negligat impedire motus inordinatos naturae humanae sibi unitae.

Contra hanc rationem instat Dur. sup. & Vasq. cap. 5. disp. citata: Verbum etiam post Incarnationem solum agit actione communi toti Trinitati, unde si peccatum humanitatis tribuatur Verbo, poterit etiam tribui alijs personis, quod falsum est. Item ex nullo capite potest colligi obligatio impedendi prauos motus humanitatis, vel cur id competat vni personae & non alijs, cum omnes eandem naturam habeant.

7.
Probatio
nc 1.

Prob. 2.
8.
Si natura
hypostaticè
unita Deo
peccaret,
Deus pec-
caret.
Replica
Dut.

Diluitur.

Cum plures
naturae in
vnum sup-
positum con-
ueniant,
peccatum
inferioris
imputatur
superiori,
si impedire
possit.

Instantia
Durandi de
plex.
9.

Ad

Ad prius Resp. Verbum non solum habere naturam diuinam, sed etiam humanam curus est suppositum, & per quam non minus agit quam alia supposita per suas naturas; unde si actio naturae humanae sit peccaminosa, & ab ea possit aliquis denominari verè & propriè peccans tanquam exercens actionem disformem rationi, potest etiam Christus denominari. nam licet in alijs hominibus ipsa substantia non sit actiua & non sit principium quo ipsius actionis, tamen suppositum verè operatur, & verè peccat si actio sit mala. ita in praesenti, dicendum est peccare suppositum, licet non habeat actionem promanantem à diuina natura, quae non sit communis toti Trinitati. Vnde patet peccatum humanitatis peculiari ratione tribuendum Filio, quod non tribuatur alijs personis, quamuis ex consequenti eisdem tribui possit. quia peccatum tribuitur naturae diuinæ, quae cum possit impedire peccatum naturae humanae illud non impedit. ex hoc enim sequitur idem peccatum etiam imputari alijs personis cum in illis eadem natura inueniatur.

Ad aliud Resp. Verbum nullâ lege propriè tenet impedire peccatum naturae humanae, sed ex determinatione suae naturae ad id adstringi. quemadmodum naturâ suâ absolute determinatur ad bonum, ita ut peccatum in illud cadere non possit. ita ex hypothesi quod sibi copularit naturam rationalem, ex determinatione naturae oritur quod peccatum illius debeat impedire, ne alioquin peccatum illi imputetur. Vnde Verbum longe aliter se habet respectu naturae sibi copulae substantialem quam respectu aliorum hominum. nam respectu illius se habet tanquam suppositum, cuius est actio bona vel mala, & cuius portio superiori tribuitur defectus ab ea permissus. hinc Verbum nullo modo potest permittere peccatum in humanitate sibi unita, vel ad libertatem illius declarandam, vel ad declarandam suam omnipotentiam; respectu verò aliorum hominum se habet per modum causae primae & generalis gubernatoris, cuius est linere res proprijs motibus ferri, & se earum naturis accommodare, & proinde defectus permittere.

Neque obstat id quod de aqua calefaciente afferebatur; cum enim calor adueniat aquae ab extrinseco contra eiusdem inclinationem, actio eiusdem caloris merito non aliter tribuitur aquae quam sustentanti calorem: actio verò vitalis & proueniens à natura alicuius suppositi, propriè debet tribui supposito illius naturae tanquam per suam naturam operanti.

Contra obijciuntur 1. mors non minus repugnat Deo quam peccatum, & tamen potest de eo praedicari ratione naturae assumptae; ergo similiter peccatum poterit de Deo praedicari, & Deus poterit assumere naturam quae possit peccare.

Resp. neg. conseq. quod enim partes naturae à Deo assumptae se inuicem dissoluantur nihil dicit inordinatum contra rectam rationem, & proinde Deus potuit permittere ut solueretur vinculum naturae assumptae, & ut ratione illius dissolutionis diceretur mori, scilicet in natura assumpta & per communicationem idiomatum; peccatum verò intrinsecè dicit deordinationem contra rectam rationem, quam si permitteret Deus in natura assumpta, peccaret; ut patet ex dictis.

Obijciuntur 2. Deus potuisset assumere naturam procreatam ex Adamo viâ ordinariâ, & per seminalem traductionem, quo casu contraxisset pecca-

tum originale. similiter potuisset assumere naturam quae prius extitisset in proprio supposito in quo & peccasset, retineretque peccatum habituale. quo casu remaneret illud peccatum inabituale.

Ad prius Resp. negando datâ hypothesi naturam humanam contracturam peccatum originale. 1. quia peccatum originale non contrahitur antequam anima uniatur corpori, quia homo est qui contrahit peccatum originale; in mysterio autem Incarnationis partes prius naturae uniuntur Verbo, & terminantur illius substantiâ, quam uniuntur inter se. cum ergo anima præciso omni alio dono per unionem fuisset sanctificata, sequitur quod non contraxisset peccatum originale.

2. Licet concipiamus partes prius naturae inter se uniri quàm à Verbo assumi, nihilominus dicendum non contracturam peccatum, quia in quo instanti reali assumitur, in eodem sanctificatur, ut supra dictum est, & peccatum originale in natura ita sanctificata impeditur. ex quo sequitur quod licet assumeretur natura, quae prius peccatum originale contraxisset, illud non remaneret in tali natura, quod etiam dici potest de habituali.

Ex quo patet responsio ad id quod posteriori loco obijciatur.

Obijciuntur 3. in casu quo assumeretur natura absque ullo dono supernaturali permanente, non apparet quâ ratione reddatur impeccabilis: non enim redditur impeccabilis præcisè ratione unionis; quia unio præcisè sumpta solum eleuat naturam ad nobilior esse substantiale, non verò eam immutat, non addit illi villas vires, nec eam corroborat, & proinde ex eo capite non minus potest peccare quàm si non esset assumpta, non redditur etiam impeccabilis ratione donorum actualium, cum illi naturae non necessariò conferantur auxilia supernaturalia. Adde quod nec illa, nec naturalia reddant naturam impeccabilem, cum nulum sit donum vel auxilium præueniens ita firmans voluntatem, ut stante libertate voluntas non possit illi dissentire. 3. nec potest hæc impeccabilitas referri in habitus naturales virtutis, qui neque necessariò conferuntur naturae unitae, neque possunt reddere personam impeccabilem.

Resp. neg. assumpt. & dico quod natura humana assumpta reddatur impeccabilis per unionem tanquam per rationem & conditionem sine qua non; & naturam diuinam seu sanctitatem moralem, quae competit naturae humanae propter unionem sui cum diuina, se habere per modum fundamenti impeccabilitatis; ideo enim natura humana est impeccabilis, quia ratione diuinitatis sibi unitae est summè sanctificata: nam cum summa sanctitas repugnet peccato, consequitur humanitatem Christi non posse peccare.

Ad 2. per modum fundamenti, quia cum ut indicatur in argumento præcisè ratione unionis & diuinitatis unitae non reprimantur motus, qui possent contra rationem insurgere; aliud requiritur ut omnino impediatur peccatum, scilicet diuina assistentia & protectio, quae tamen ratione unionis illius naturae cum diuina, & ratione sanctitatis inde exurgens debetur illi naturae. unde quamuis Deus possit assumere naturam in puris naturalibus sine ullo habitu supernaturali vel naturali, cui etiam nolit præbere vllum auxilium supernaturale, ei tamen debet talem assistentiam

13.

Si assumeretur natura quae prius contraxisset peccatum, ipsa assumptione sanctificaretur.

13. Obiectio tertia.

14.

Ve omni impediatur peccatum in natura assumpta, requiritur peculiaris assistentia Dei.

K

& modum

Sed ad hanc
prebendam
determina-
tur Deus,
supposita
vniione hy-
post.

15.
Quo sensu
humanitas
dici possit
intrinsecè
impeccabi-
lis.

Obiectio
quarta.

Resp.
16.
Qualiter
peccare
posset eo
instati quo
solueretur
vniio.

17.
Obiectio.

Suar.

Vasq.

Possetne
sumi natu-
ra cum ha-
bitibus vi-
tiosis.

18.

Resp. An-
thonis.

& modum prouidentie, qualis requiritur ut seruet legem naturæ & vitet peccata; ad quod dico eum ex sua natura determinari supposita vniione hypostatica, & proinde debere necessarîo dare tali naturæ ea auxilia pro loco & tempore cum quibus preuidetur non peccatura, ita ut si prauideretur cum talibus auxilijs peccatura, Deus alia præbere deberet, imò si opus esset, determinare ad certas actiones.

Peti verò potest num humanitas in Christo possit dici intrinsecè impeccabilis.

Resp. satis constare eam non esse impeccabilem secundum naturæ conditionem, & proinde non posse eo sensu dici impeccabilem, posse tamen dici intrinsecè impeccabilem eo sensu quo corpus vnitum animæ dicitur viuens: quemadmodum enim corpus quod est eiusdem rationis & naturæ siue sit vnitum siue non, dicitur intrinsecè viuum quando animâ informatur, ita humanitas vnita diuinitati, & ratione illius sanctificata potest dici intrinsecè impeccabilis.

Obijciatur 4. natura humana posset in Christo peccare ita ut vniio eodem temporis instanti solueretur; quemadmodum homo in gratia constitutus potest peccare perdendo gratiam illo ipso instanti quo peccat.

Resp. dist. antec. si enim intelligatur ita posse peccare, ut peccatum non censeatur ordine naturæ antecedere dissolutionem vniionis, nec censeatur esse causa illius dissolutionis, concedo: neque id repugnat communi doctrinæ, quia iuxta illum modum natura humana non peccat vnita Verbo, neque Verbum censeatur per naturam sibi vnitam peccare, quemadmodum in exemplo allato gratia quæ eodem instanti deperditur quo committitur peccatum, non censeatur causa peccati, neque homo peccat ut gratus. Si verò intelligatur quod peccatum se habet antecedenter ordine naturæ ad dissolutionem vniionis, nego. propter rationes quibus ostensum est naturam humanam ratione vniionis reddi impeccabilem, ita ut quamdiu illa concipitur vnita Verbo, debeat concipi summè sancta, & dico eo casu repugnare eodem instati quo committitur peccatum dissolui vniionem: nam iuxta hunc secundum modum peccatum dicitur esse causa dissolutionis vniionis, & proinde natura humana censeatur illud peccatum committere in diuino supposito, & per consequens vnita, atque ita illo instanti quo committitur peccatum debet per se seuerare vniio, ergo non potest eodem instanti dissolui.

Obijciatur 5. Deus posset relinquere habitus prauos inuentos in natura præexistente, ergo & peccatum.

Suar. disp. citata in fine sect. 2. negat antec. licet enim tales habitus non sint formaliter mali, sunt tamen mali causaliter, & intrinsecè inclinât ad peccatum. Vasq. verò disp. citata cap. 6. nu. 35. concedit, quia huiusmodi habitus secundum suum materiale relictî non repugnant perfectæ sanctificationi; nec est periculum ne vnquam in Christo erumpant in actum, cum per diuinam assistentiam possint impediri. Nec obstat quod non possint suo modo deificari, quia nō omne quod potest assumi, potest deificari, eo sensu quo propositio illa communiter intelligitur. Certè egrè apparet repugnantia, quidquid tamen sit de antecedente.

Resp. negando conseq. quia tales habitus facile possunt impediri ne exeant in actum; & de cetero perfectissima sanctificatio potest cum illis consistere.

Petitur verò an assumi possit reatus ad peccatum, seu verum assumi possit natura, in qua remaneat debitum peccati perfoluendū ex priori proprio peccato.

Aliqui affirmant, alij negant; quod videtur probabilius, quia huiusmodi debitum non consistit cum perfectissima sanctitate. cum ergo natura humana Verbo vnita per vniionem perfectissimè sanctificetur, non potest remanere debitrix alicuius peccati ex priori peccato contractæ, sed tale debitum ipso vniionis instanti debet remitti.

ARTICVLVS II.

Utrum in Christo fuerit fomes peccati?

NOTANDVM fomitem dupliciter sumi posse, scilicet in actu secundo, & in actu primo. Spectatus in actu secundo non est aliud quàm motus appetitus præuenientis & allicientis voluntatem contra rationem: spectatus verò in actu primo non est aliud quàm potentia inordinata & proximè disposita ut possit operari contra rationem; vel est appetitus sensitiuus proximè dispositus ad exeundum in actum contra rectam rationem, in quantum id oritur ex peccato originali; quod addo, quia licet in statu naturæ fuisset concupiscencia quæ etiam potuisset exurgere in motus rationi repugnantem, & voluntatem allicere ad motus consimiles, non tamen habuisset rationem fomitissimè, sed huiusmodi proxima dispositio solum habuisset rationem naturalis cuiusdam conditionis.

Cum enim homo constet duabus portionibus, sensitiuâ scilicet & rationali, & duplicè habeat appetitum sensitiuum & rationalem, & obiectum illius sit bonum sensibile, quod interdum repugnat portioni rationali, homo ex conditione sua natus est pati appetituum discrepantiam, & ut inferior superiorem pelliciat ad id quod est contra rationem, quod tamen in statu innocentia ita impediatur per peccatū arem Dei prouidentiam, ut in illo felicitissimo statu pars inferior nunquam posset insurgere contra superiorem & eam præuenire. quia verò per peccatum primi parentis excidimus ab illo statu & priuati sumus iustitiâ originali, in qua conditi fuissimus, huiusmodi concupiscencie dispositio habet rationem peccati, & dicitur fomes peccati, quali fomentum per quod voluntas impellitur ad peccandum.

Quod pater: constat in paruulis baptizatis remanere fomitem, ut patet ex Concilio Trid. sess. 5. can. vlt. de peccato originali; in quibus tamen nihil potest habere rationem fomitis præter huiusmodi conditionem, quæ appetitus seu concupiscencia est proximè disposita ad motus contra rationem, & ut ad huiusmodi motus voluntatem alliciat.

Quod enim aliqui comminiscuntur morbidam qualitatem, nullo modo est admittendum; cum nulla sit positua qualitas in statu naturæ lapsæ quæ non fuisset in statu innocentia. Conf. huiusmodi qualitas vel est naturalis vel supernaturalis: si naturalis, sequitur corporis constitutionem, vel est naturalis animæ; utrumvis dicatur debuisset inueniri in statu innocentia, si sit supernaturalis, à solo Deo est infundenda; quod in illius iniuriam redundat. his prænotatis.

Conclusio S. Th. est negatiua, quæ est communis scholasticorum & sanctorum Patrum qui eam materiam

19.

Non vide-
tur posse
assumi re-
atus ad pec-
catum.

Fomes du-
pliciter su-
mitur. Quid fo-
mes in actu
primo &
secundo.

20.

Concupis-
centia in
statu natu-
ræ non
habuisset
rationem
fomitissimè.

21.

Fomes pec-
cati est ac-
tius.

22.

Non fuit
in Christo
fomes.

Fomes nec
est morbi-
da quali-
tas.

Non fuit
in Christo
fomes.